



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Volvminibvs Comprehensvs
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Art. III. An Verbum per se procedat ex cognitione futurorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](#)

objectum primarium divinæ cognitionis, creatu- A
ra autem objectum secundarium: Sed cognitio prius intelligitur terminata ad objectum prima-
rium, quād ad secundarium, cūm hoc ratione il-
lā terminat cognitionem: Ergo cognition divina
potius intelligitur terminata ad Dei essentiam,
quād ad creaturas possibiles.

Hoc argumentum confirmat, eō quod princi-
pium infinitum movens ad duos terminos, quo-
rum uno fruatur, & alter infinitus, prius ad in-
finitum quād ad finitum moveat, utpote cūm in-
finitus sit illi magis connaturalis: Sed divina es-
sētia, ut secundans intellectum Patris, est princi-
pium infinitum movens ad dictiōnem Verbi,
quod est terminus infinitus, & ad cognitionem
creaturarum, quāz sunt aliquid finitum: Ergo prius
moveat ad dictiōnem Verbi, quād ad cognitionem
creaturarum; & consequenter dictio Verbi
prior est cognitione creaturarum.

B Ad objectum respondet, negando Majore.
Ad probationem, concēsā Majōrem, distin-
guo Minorem, illamque concedo de prioritate à
quo virtutis objectiva, nego autem de prioritate
in quo, etiam rationis, quando objectum secun-
dum essentialiter cum primario connectitur, &
ad illius comprehensionem requiritur illius cog-
nitio; qualiter in prælenti contingere constat ex
dicto. Unde

C Ad confirmationem, distinguo Majorem: Princi-

piolum infinitum movens ad duos terminos &c.
prius ad infinitum quād ad finitum moveat: Si ad
quoniam comprehensionem cognitionis termini finiti ne-
cessaria non sit, concedo Majorem. Si ad ejus
comprehensionem termini finiti cognition requiri-
tur, nego Majorem. Unde cūm Verbum divinum
ex cognitione comprehensiva essentia procedat,
& scientia ut gerens vices speciei intelligibilis, &
pro intellectum divinum, ut est in Patre, ad dictiōnem seu productionem Verbi fecundat,
comprehendi nequeat, nisi creature possibiles in
illatūta cāula cognoscantur; dictio seu produc-
tio Verbi in Deo, non est prior cognitione creatura-
rum possibilium, sed prius possibilia, cognita in
scientia divina tanquam in cāula, prioritate à quo
productionem Verbi præcedunt.

D Arguit rufus Scotti Discipuli: Spiritus San-

ctus non procedit amore creaturatum possibili-
um: Ergo nec Verbum ex illarum cognitione.
Antecedens est certum, & constabit ex dicendis
disputatione sequenti: Consequentiam verò non
aliter probant, quād ex partite rationis.

Sed negatur illa Consequentia & patitas. Ratio

dilectimis est, quia omnipotētia divina, ut com-
prehēna in ratione cognoscibilis, cum creaturis
possibilibus necessariamente connectitur; eō quod de
conceptu comprehensionis sit terminata ad ob-
jectum, cognoscendo quidquid est in illo cognoscibilis;
creature autem possibiles sunt cognoscibilis
in omnipotētia Dei. Hæc verò ut amabilis, etiam
amore comprehensivo, non connectitur cum
creatüris possibilibus; quia in illo statu non sunt
capaces terminandi amorem divinum, ut in
Tract. de Voluntate Dei ostensum est. De ratione
autem amoris comprehensionis solum est attingere
in objecto amato quidquid in illo, & ratione il-
lū, diligibile est. Sed de hoc rufus redit sermo
disputatione sequenti.

Dicēs, Omnipotētia divina ut cognoscibilis,
non connectitur essentia, et cūm creaturis possi-
bilibus in particulari, sed solum cūm ente crea-
tūræ & possibili ut sic: Ergo non valet assignatum

Tom. II,

72.

H h 2 cogni-

discrimen. Consequentia patet, Antecedens pro-
batur. Nulla potentia ut cognoscibilis, per se
connectitur cum termino materiali, sed tantum
cum formalis: At ens creabile ut sic est terminus
formalis divinæ omnipotētiae, creaturæ vero in
particulari sunt terminus tantum materialis il-
lius: Ergo &c.

69. Respondeo distinguendo Antecedens: Omni-
potētia divina ut cognoscibilis solum quod ditta-
tive, non connectitur cum creaturis possibilibus
in particulari, concedo Antecedens. Ut cognoscibilis
non solum quidditativē, sed etiam compre-
hensivē, qualiter cognoscitur ab intellectu divi-
no, nego Antecedens. Ad cuius probationem si-
militer dicendum est, ad cognitionem quidditati-
vam potentia sufficere cognitionem termini
vel objecti formalis: ad comprehensionem vero
requiri cognitionem omnis termini, vel objecti,
etiam materialis, in illa contenti.

ARTICULUS III.

An Verbum divinum per se procedat ex
cognitione futurorum?

§. I.

Referuntur Sententie, & vera eliguntur.

IN hujus difficultatis resolutione triplex ver- 70.
satur sententia. Prima absolute affirmat Ver-
bum divinum ex cognitione futurorum proce-
dere. Sic Valentia quāsi. 8 de Trinit. pāncio 2. Ruiz
diff. 63. seci. 4. & Zuniga diff. 9. arb. 7.

Secunda docet illud per se procedere ex cog-
nitione futurorum contingentium sub condicio-
ne, scilicet verò futurorum in statu absoluto. In hanc
sententiam inclinare Melinam circa hunc arti-
culum, testatur Arrubal; illamque tueri debent
omnes scientia media auctiores, si velint loqui
consequenter ad sua principia, ut patebit ex in-
frā dicendis.

Tertia defendit, Verbum divinum ex nullius
futuri cognitione procedere. Hanc tenent com-
muniter nostri Thomistæ, quos sequuntur plures
ex Recentioribus, cum quibus

Dico primò, Verbum divinum ex cognitione
futurorum absolutum per se non procedere.

Hanc conclusionem probant aliqui, ex eo quod
processio Verbi est prior in Deo decreto libero, &
scientia visionis, per quam Deus futura absoluta
cognoscit. Hactamen ratio non videtur efficax;
quia actus notionales & necessarii non sunt priori-
res liberis, prioritate in quo (in ordine latè ad
intellectum divinum) sed solum prioritate à quo,
ut frequentius docent nostri Thomistæ in mate-
ria de scientia Dei, & eruditè probant Salmani-
censes in Tractatu de Scientia Dei; prioritas au-
tem à quo, cūm non sit prioritas existentia, aut
durationis, sed solum causalitatis, vel originis, non
impedit coexistētiam extremonum, nec ratio-
nem notitiae intuitivæ, ut iuprā docuimus: Ergo
quod processio Verbi sit prior in Deo decreto
libero, & scientia visionis, non obstat quin fur-
rorum cognitione per se concurrat ad Verbi produc-
tionem.

Confirmatur: Cognitione ex qua Verbum proce-
dit, prius prioritate à quo terminatur ad Filium,
quam ad Spiritum Sanctum; & prius ad essentiam
& attributa, quam ad creaturas possibiles; & ta-
men hæc prioritas non obstat, quia Verbum ex

Dif. 7.1.
dubia 4.

A. 1.
S. ult.
mo.

cognitione Spiritus Sancti, & creaturatum possibilum per se procedat, ut articulis praecedentibus ostendit. Ergo quod aetas necessarii, prioritate quo libera Dei decreta, & rerum futuritionem praecedant, non impedit quin Verbum ex futuro cum cognitione procedat. Hac ergo ratione praetermissa

73. Probatur primò conclusio ratione fundamentali. Cum processio Verbi sit absolute necessaria, non satis est, ut aliquid objectum per se ad illam concurredit, quod illud sit cognoscibile, & de facto cognoscatur ab intellectu divino, in eo signo, in quo Verbum procedit; sed insuper requiritur, quod sit absolute necessarium, tis quod habeat necessariam connexionem cum essentia divina, qua est objectum primatum & formale intellectus divini. Sed futura contingentia (supposito etiam libero divina voluntatis decreto, à quo futuritionem habent) non sunt simpliciter & absolute necessaria, sed tantum secundum quid, & ex suppositione decreti, nechabent necessariam connexionem cum divina essentia, ut ex se patet. Ergo Verbum divinum ex illorum cognitione non procedit.

74. Confirmatur: Illud per se ad productionem Verbi divini non concurredit, quod si auferretur, Verbum maneret omnino invariatum, & ejusdem rationis ac ante. Sed sublatā à Deo futurorum contingentium cognitione, Verbum divinum omnino invariatum subsisteret: Ergo illa per se ad ejus productionem non concurredit. Major pater, Minor vero suaderit primò ex Anselmo in monol. cap. 30. ubi sic ait: Sive Deus cogiteur nullum aliud existente essentiā, sive aliis existentibus, necesse est Verbum illius coeterum illi, esse cum ipso. Et cap. 31. Si nihil unquam aliud esset, nisi summus ille Spiritus, ratio tamen cogit, Verbum illud quo se dicit, ex necessitate esse. Ubi aperit Anselmus, etiam si nihil esset futurum, Verbum divinum omnino invariatum mansurum. At si nihil esset futurum, nullius futuri cognitionis esset in Deo: Ergo sublatā in Deo futurorum contingentium cognitione, Verbum divinum omnino invariatum subsisteret.

Secundò probatur eadem Minor: Divina voluntas ex suppositione quod creaturæ sint futuræ, non immutatur, aut alter se habet, ac se haberet ex suppositione quod non essent futuræ, decretum enim à quibus habent futuritionem, nullam in voluntate Dei inducit mutationem. At divina voluntate invariata manet, debet etiam intellectus Dei, & Verbum per illum productum, invariata subsistere; quia propter naturalem sympathiam, & summam collationem voluntatis & intellectus Dei, nec non Verbi per illum produti, nequit aliqua variatio intrinseca esse in aliquo istorum, nisi alia etiam intrinsecè varientur: Ergo sublatā à Deo futurorum contingentium cognitione, Verbum divinum omnino invariatum subsisteret.

75. Probatur secundò conclusio: Ut Verbum ex cognitione futurorum procedere, deberet hæc scientia prius origine convenire Patri, quam Verbo: Sed prius origine Patri convenire non potest: Ergo nec Verbum ex futurorum cognitione procedere. Major pater, Minor probatur. Cum scientia futurorum sit innixa decreto, ut in Tractatu de scientia Dei probatum est, eodem modo de illa philosophandum est, ac de ipso decreto: Sed libera divina voluntatis decreta, prius origine non convenient Patri, sicut enim actiones ad extra sunt

Diss. 4.
Art. 6.

A toto Trinitati communis, ita & de cetera liberta divisa sunt, & tribus personis communia, ac potinde non prius uni quam alteri competunt: Ergo pariter scientia libitorum, innixa decreto, accedit fundata, non convenit prius Patri quam Filio.

Tertiò suaderi potest conclusio ex fundamentis articulo praecedenti statutis. Illud solum pertinet ad Verbi productionem concurredit, quod per se & essentialiter requiritur, ut cognitionis ex qua procedit sit infinita & comprehensiva: Sed ad hoc essentialiter non requiritur, quod ad futura contingencia terminetur: Ergo Verbum non procedit per se ex illorum cognitione. Major pater, B supra dictis, Minor vero probatur. Ut Deus le ipsam comprehendat, sufficit quod perfectissime penetreret suam omnipotentiam, & in illa cognoscat quidquid per illam potest pro ducent, nec per se requiritur quod cognoscat futura, alias si Deus decretet nullam creaturam producere (in qua causa nulla creatura esset futura, ac proinde non esset in Deo cognitionis futuorum) non posset ipsum comprehendere, quod est absurdum.

Respondeat Ruiz ubi supra: Quod est ad cognitionem comprehendivam Dei, absolute & implicita non requiritur cognitionis creaturarum futurorum, bene ramen ex suppositione quod sunt futurae, & ideo ex suppositione decreta, à quo res habent futuritionem, Verbum per se ex futurorum cognitione procedere.

C Sed haec responsio vim argumenti non insuffigit: Quia, ut dicebamus, illud solum per se ad Verbi productionem potest concurredit, quod per se & essentialiter requiritur, ut cognitionis ex qua procedit sit infinita & comprehensiva: Ergo cognitionis futuorum ad cognitionem comprehendivam Dei absolute & implicita non requiri, sed tantum per accidentem, & ex suppositione decreta, & futuritionis rerum, cognitionis futuorum ad productionem Verbi per se non potest concurredit, sed ad illam merè per accidentem & concomitantem se habet. Addo quod, cum producio Verbi divini sit implicita & absolute necessaria, per se non potest pendere ex aliqua suppositione libera & contingenti, qualis est suppositionis divini decreti, & futuritionis rerum.

Dico secundò: Verbum divinum non procedere per se ex scientia futuorum conditionatorum: si tamen in Deo admittatur scientia media, seu cognitionis futuorum conditionatorum, à decreto independens, illòque anterior, negari non potest Verbum divinum ex illorum cognitione procedere.

E Prima pars hujus conclusionis patet ex dicto in praecedenti: Verbum enim divinum, etiam in sua entitate omnino necessarium, nec possit esse in Deo, ex aliqua scientia libera, & que potuit absolute Deo non convenire, non potest per se procedere: Sed cognitionis futuorum contingentium conditionatorum est omnino libera (cum librum divinæ voluntatis decretem, non minus quam scientia futuorum conditionatorum, supponat) & potuit absolute Deo non convenire, non Tractatus de Scientia Dei ostendit: Ergo Verbum divinum ex illa per se non procedit.

Altera vero pars breviter sita detur: Ut aliquid obiectum per se ad Verbi productionem concurredit, duo tantum requiriuntur, nempe quod sit cognoscibile in eo signo in quo Verbum procedit, & quod sit absolute necessarium: Sed unum, convenit futuri conditionari, si illa sit futura, ame decretum & prædestinationem divinae voluntatis: Ergo

DE PERSONA FILII.

245

Ergo admis̄scientiā mediā, sequitur Verbum diuinum ex futurorum cognitione procedere. Major pater, Minor etiam quantum ad primam patem est evidens; quia in signo antecedenti determinatū concipiuntur actus notionales & necessaria, & conseq̄uenter processio Verbi: Ergo si in tali signo res contingentes sūt sub conditione futura, & habeant veritatem objectivam determinatam (ut docent auctores scientia media) sunt cognoscibilis ut futura ab intellectu divino, in eo signo in quo Verbum à Patre procedere intelligitur.

Quādum verò ad secundam partem (quād nimirum futura conditionata sūt absoluē necessaria, si independenter a divino decreto, & in signo rationis illud antecedente, sūt determinatā futura) fūse probata est conclusio in Tractatu de Scientia Dei. Tum quia jam erunt futura ante pri-mū principiū, & primā radicem totius libe-ritatis & contingentia, atque ex vi & natura oppositionis contradictrior, quā est causa necessaria necessitate absoluā; Tum etiam quia erunt futura pro omni signo & instanti imaginabili, ut iōdem latè expendimus: Ergo admis̄scientiā in Deo scientiā mediā, negari non potest, Verbum ex futurorum conditionatorum cognitione procedere. Unde Molina qui hoc admittit (ut testatur Aribal) magis conseq̄uenter ad sua principia philosophatur, quam alii defensores scientiā me-dī, qui hoc negant.

§. II.

Solvuntur argumenta in contrarium.

Contra præcedentes conclusiones objiciunt in primis Adversarii testimonium Augustini, de Trinit. cap. 13. & 14. ubi docet Verbum diuinum esse omnibus quā sunt in scientia Dei. Et D. Thomae hīc art' 2, ad 3. afferent quod Pater intellegido se, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia dia quae in eis scientia continentur, concepit Verbum. Atque creatura, non solum ut possibiles, sed etiam ut futura, in scientia Dei continentur: Ergo Verbum non solum ex cognitione possibilium, sed etiam ex scientia futurorum procedit.

Ad Augustinum respondeo, Verbum diuinum esse omnibus quā sunt in scientia Dei, etiam de contingentibus, representat enim non solum possibilia, sed etiam futura, quamvis non sit orum ex futurorum scientia, sed illa mērē concomitant & veluti accidentaliter ad ejus produc-tionem se habeat.

Ad D. Thomam dicatur, illum ibi loqui de scientia Dei naturali & necessaria, que scientia similitudinis intelligentiae appellatur, quā non se exten-sidat res contingentes & futuras, sed tantum ad possibilia terminatur.

Neque obstat quod idem S. Doctor infra qu. 30. art. 2. ad 3. ait, Parrem dicere omnia Verbo, facit dīgit omni Spiritu Sancto; ex quo inferit Zaniga, ipsum intelligendum esse de scientia fu-turorum & existentium, ad quā dilectio, ex qua Spiritus Sanctus procedit, terminatur. Nam illa comparatio D. Thomae non debet tenere quantum ad omnia alias sequere quod Verbum ex scientia possibilium non proderet, ed quod Spiritus Sanctus, ut disputatione sequenti ostendemus, ex illorum amore non procedat) sed valet solum quantum ad hoc, quod dictio quā Verbum producitur, ad futur. & existentia termina-

A tur, sicut & dilectio ex qua Spiritus Sanctus pro-cedit: quamvis hæc terminatio, nec ad Verbi pro-ductionem, nec ad processionem Spiritus Sancti per se concurrat, sed ad utramque mērē concomitan-ter se habeat.

Objiciunt secundò, Verbum per se in quarto modo procedit ex cognitione comprehensiva es-tentia: At hæc, supposito decreto de creaturis fu-turis, per se petit terminari ad illas: Ergo tali de-creto supposito, Verbum per se procedit ex no-titia futurorum. Major est certa, Minor proba-tur. Comprehensio est cognitio objecti, & omni-um quā in illo sunt cognoscibilia; At supposito decreto de existencia futurorum, illa sunt cognos-cibilia in essentia divina: Ergo tali decreto sup-po-posito, comprehendens essentia per se petit terminari ad futura.

Confirmatur: Verbum debet in actu secundo exprimere ac repräsentare omnia objecta, quā ab essentia divina, ut habet rationem speciei in-telligibilis, & principiū quo divinæ intellectio-nis, veluti in actu primo repräsentantur: Sed supposito decreto, essentia divina ut gerens vices speciei intelligibilis, & ut habet rationem principiū quo divinæ intellectio-nis, est per se repräsentativa non solum rerum possibilium, sed etiam futuratum: Ergo supposito decreto, Verbum non solum possibilia, sed etiam futura per se re-präsentat.

C Ad objectionem respondeo, distinguendo Ma-jorem ex cognitione comprehensiva essentia, ut terminata ad objecta necessaria, tēc cum ipsa essentia divina necessariō connexa, concedo Ma-jorem; ut terminata ad objecta libera, & cum es-sentia divina necessariō non connexa, nego Ma-jorem. Unde cū essentia divina sit necessariō connexa cum creaturis possibilibus non verò cum futuris, cognitio comprehensiva illius per se petit ad possibilia, non verò ad futura contin-gentia terminari.

Vel secundò responderi potest, concessā Ma-jori, negando Minorem: ad cujus probationem, D. distingo Majeorem. Comprehensio est cognitio objecti, & omnium quā in illo sunt cognoscibilia, per se & ratione aliquis formalitatis neces-saria, concedo Majeorem. Et accidens, & ratio-ne aliquis suppositionis, aut formalitatis libera & contingentis, nego Majeorem. Similiter di-stinguo Minorem: supposito decreto futura sunt cognoscibilia in essentia, ratione aliquis forma-litatis necessaria, nego Minorem. Ratione aliquis formalitatis aut suppositionis libera & con-tingentis, concedo Minorem, & nego Conse-quentiam Solutio pacet ex supra dictis: ad com-prehendendam enim aliquam potentiam sufficit quod cognoscantur objecta, quā per se & necessariō in illa continentur, nec requiritur quod illa ad quā per accidens & contingentē se extendit, ar-tingantur. Unde, ut supra dicebamus, si Deus de-crevisset nihil ad extra producere, nihil ut fu-turum cognosceret, & tamen perfectissime suam omnipotentiam comprehendenderet, videndo infinitas creaturas possibiles, quā in illa ut in causa eminentissimo modo continentur.

Ad confirmationem, concessā Majeori, negan-da est Minorem: cū enim res ut futura, non sive cum divina omnipotētia necessariō connexa, sicut creatura ut possibiles essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, & principiū quo divinæ intellectio-nis, non est per se repräsentativa futurorum contingentium, sed per ac-

89.

Hh 3

cidens

DISPUTATIO NONA

cidens tantum & concomitante; quatenus scilicet ei veluti accidentaliter seu contingenter advenit liberum divinæ voluntatis decretum; unde cùm Verbum divinum, ex vi sua processionis, illa solum objecta repræsentet, qua per se in essentia, ut gerente vices specie intelligibilis, & intellectum Patris fœcundante, continentur; futura contingentia per se & ex vi processionis non exprimit, sed illorum cognitio ad ejus productionem merè per accidens & concomitante se habet.

90. Objiciunt secundò Adversarii, & instant contra solutionem jam datam, Verbum divinum de facto repræsentat & exprimit creaturas, non solum ut possibles, sed etiam ut futuras: Sed talis expressio ac repræsentatio illi convenit ex vi processionis: Ergo ex vi illius repræsentat creaturas, non solum ut possibles, sed etiam ut futuras. Major est certa, Minor probatur. Quidquid Verbum habet, accipit à Patre per æternam generationem, iuxta illud Christi Joann. cap. 17. *Omnia mea tua sunt. Et illud cap. 17. Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Sed quidquid Verbum accipit à Patre per æternam generationem, habet ex vi sua processionis: Ergo expressio & repræsentatio futurorum, ex vi sua processionis illi convenit.

91. Respondeo concessa Majori, negando Minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quod si Verbum omnia qua habet, habeat per suam processionem, non tamen omnia habet ex vi sua processionis, sed aliqua per suam processionem identice tantum & concomitante illi convenient. Sicut disp. 2. dicebamus, quod licet Spiritus Sanctus per suam processionem habeat naturam divinam à Patre & Filio communicatam, illam tamen non accipit ex vi sua processionis, sed concomitante tantum & identice, in quantum amor seu impulsus, quem ex vi sua processionis recipit, realiter identificatur cum natura divina.

92. Dices: Filio ex vi sua processionis formaliter solum convenient natura divina, non verò attributa; cùm sola natura sit formalis & primaria iste minus divinæ generationis; & tamen per se procedit, non solum ex cognitione essentiae, sed etiam attributorum: Ergo quamvis libera repræsentatio futurorum, illi non competit primariò ex vi processionis, sed tantum secundariò, debet tamen ex cognitione illorum procedere.

93. Respondeo. Attributa comunicari Filio ex vi processionis, per se secundariò; & idcirco procedere ex cognitione illorum: repræsentationem autem rerum futurarum & existentium, quia ab aliqua suppositione libera & contingentia dependet, per accidens solum competere Verbo; & ideo illud per se procedere ex cognitione attributorum, & creaturarum possibilium, sine quibus divina omnipotencia comprehendendi non potest; non vero ex cognitione futurorum, qua cum divina omnipotencia, aut aliis attributis, necessariam connexionem non habent.

§. III.

Duo Corollaria notatu digna.

94. Ex dictis inferes primò, Verbum divinum per se procedere ex cognitione divinorum decretorum sub conceptu entitatis, per accidens verò seu concomitante, ex cognitione illorum sub conceptu terminationis ad creaturas.

A. Parte hoc corollarium: quia Verbum per se procedit ex cognitione essentiae, ut terminata ad formalitates necessarias, seu necessariò cum essentia connexas; per accidens verò, seu concomitantes, ex cognitione illius, ut terminata ad formalitates liberas, & cum essentia necessariò non connexas; Sed libera Dei de cœta, sub conceptu unitatis in creaturæ, cùm explicant, necessaria sunt, & cum essentia divina necessariò connexa, definita verò seu contingentia, sub conceptu terminationis ad creaturas, cùm sub illa ratione & formalitate potuerint in Deo non esse, tu in trinitate de Voluntate Dei fuisse explicatum est: Ergo &c.

B. Inferes secundò, plures esse distinguendas terminaciones in intellectu, per quam Verbum producitur. Prima est ad essentiam divinam, ut ad ejus objectum formale & primarium: secunda ad attributa, & relationes, ut ad proprietates, vel modos objecti formalis & primarii; tercia ad creaturas possibilis: ultima ad res existentes & futuras. Tres primæ per se & ex vi processionis Verbo divino convenient; quarta vero solum concomitante, & veluti per accidens. Unde si per impossibile aliqua ex tribus primis tollentur, Verbum divinum, vel omnino deliquerit, vel mutetur intrinsecè; secus vero, si ultimâ tantum terminatione careret.

ARTICULUS IV.

An propriè, & perfectè, ac soli Filio, ratio imaginis conveniat in Divinis?

Tria, ut pater, in hoc articulo inquirimus. Primum, an ratio imaginis verè & proprie Filio Dei competat? Secundum, an perfectè in illo reperiatur? Tertium, an illi tantum, non autem Spiritui Sancto conveniat? Pro resolutione sit

D

§. I.

Premittitur unum quod apud omnes est certum, ex quo incurrunt quædam corollaria.

SUPPONENDUM EST EX D. THOMAS HAB. ART. 10^o *fr. 1. quest. 93. art. 1. & 2. ad veram & propriam rationem imaginis duo requiri. Primum est similitudo, non quæcumque, sed perfectior est que sit in specie, aut saltē in signo speciei, quale effigia in rebus corporalibus: similitudo enim in gradu generico, aut analogo, vel etiam in accidentibus communib; non sufficit ad rationem imaginis; unde vermiculi in homine produci, non sunt ipsius imagines, nec etiam partes alibi effigia hominis alibi. Secundum quodam propriam rationem imaginis requiritur, est expressio, seu origo ab eo cuius dicitur imago: unde unum ovum, quamvis perfectè simile alteri, non est imago illius, quia non est ab illo expressum seu productum, ut ex Augustino ibidem referit. Thomas. Ex hac suppositione*

Inferes primò, quod sicut triplex potest reperi similitudo ab aliis expressis, scilicet in artificiali, intentionalis, & naturali: ita triplex potest dari imago, nimirum artificialis, urstata, vel tabella, intentionalis, ut species impressa, & expressa; & naturalis, ut filius respectu patris

Inferes secundò, quod tanto perfectior est

imago